Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

Cogor per singulos divine scripture libros adversariorum respondere maledictis qui interpretationem meam reprehensionem lxx interpretum criminantur. quasi non et apud grecos aquila simachus et theodocion vel verbum ex verbo vel sensum ex sensu vel ex utroque commixtum et medie temperatum genus translationis expresserint. Et omnia veteris instrumenti volumina origenes obelis asteriscisque distinxerit quos vel additos vel de theodotione sumptos translationi antique inseruit probans defuisse quod additum est. Discant igitur obtrectatores mei recipere in toto quod in partibus suscipiunt aut interpretationem meam cum asteriscis suis radere. Neque enim fieri potest ut quos plura intermisisse perspexerint non eosdem etiam in quibusdam errasse fateantur precipue in iob. Cui si ea que sub asteriscis addita sunt subtraxeris pars maxima voluminis detruncabitur. et hoc dumtaxat apud grecos. Ceterum et apud latinos ante eam translationem quam sub asteriscis et obelis nuper edidimus septingentos fere vel octingentos versus desunt. ut decurtatus et laceratus corrosusque liber feditatem sui publice legentibus prebeat. Hec autem translatio nullum de veteribus sequitur interpretem sed ex ipso hebraico arabicoque sermone et interdum syro nunc verba nunc sensus nunc simul utrumque resonabit. Obliquus enim etiam apud hebreos totus liber fertur et lubricus et quod greci rethores vocant schematismenos dumque aliud loquitur aliud agit. ut si velis anguillam aut murenulam strictis teneas manibus quanto fortius presseris tanto magis elabitur. Memini me ob intelligentiam huius voluminis liddeum quendam preceptorem qui apud hebreos primas habere putabatur non parvis redemisse nummis. cuius doctrina an aliquid profecerim nescio. hoc unum scio non potuisse me interpretari nisi quod ante intellexeram. A principio itaque voluminis usque ad verba iob apud hebreos prosa oratio est. Porro a verbis iob in quibus ait. Pereat dies in qua natus sum et nox in qua dictum est conceptus est homo. usque ad eum locum ubi ante finem voluminis scriptum est. Ideo me ipsum reprehendo et ago penitentiam in favilla et cinere. exametri versus sunt dactilo spondeoque currentes. et propter lingue ydioma crebro recipientes et alios pedes non earundem sillabarum sed eorundem temporum. Interdum quoque rithmus ipse dulcis et tinnulus fertur numeris lege solutis quod metrici magis quam simplex lector intelliget. A supradicto autem versu usque ad finem libri parvum coma quod remanet prosa oratione contexitur. Quod si cui videatur incredulum metra scilicet esse apud hebreos et in morem nostri flacci grecique pindari et alchei et sapphus vel psalterium vel lamentationes ieremie vel omnia fere scripture cantica comprehendi. legat philonem iosephum origenem cesariensem eusebium et eorum testimonio me verum dicere comprobabit. Audiant quapropter canes mei idcirco me etiam in hoc volumine laborasse non ut interpretationem antiquam reprehenderem sed ut ea que in illa aut obscura sunt aut omissa aut certe scriptorum vicio depravata manifestiora nostra interpretatione fierent qui et hebreum sermonem ex parte didicimus et in latinis pene ab ipsis cunabulis inter grammaticos et rethores et philosophos